UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

**Blois, Louis de**

**Monasterii Campidonensis, 1672**

§. V. De fidelibus defunctis. Ex diversis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45885

Visual Library

Collyrii Hæreticorum Appendix.

*rificant. Idipſum fit etiam in imagine Divæ Virginis, quæ Filium & Verbum DEI ſecundùm carnem peperit, inq; Martyrum & aliorum Sanctorum omnium imaginibus.*

3. Et ad imitationem Sanctorum impellit.

Idem Cantacuzenus rurſum dicit: *Quemadmodum olim Romæ & alibi Regibus illius temporis Ducibusq́; exercitus ſtatuas ponebant, quas cernentes, recordabantur egregiorum facinorum eorum quibus ſtatuæ poſitæ fuerant; ita & in Sanctorum imaginibus uſuvenit: quas dum cõtemplamur, reducentes mentem ad illarum exemplaria, eas veneramur. Ipſas in tabulis atq; columnis adhuc extantes cum honore adoramus, vetuſtate verò corruptas & deletas non ampliùs veneramur, ſed judicamus inutiles. Idem quoq; & in Cruce videre eſt: quamdiu enim lignum aliquod figuram Crucis prætulerit, adoratur, ſalutaturq; à nobis; ubi verò figura Crucis interierit, ulteriùs lignum à nobis non adoratur.*

## §. V.

*De fidelibus defunctis. Ex diverſis.*

1. *Traditio orationis pro defunctis probatur ab Apoſtolis derivata: Ex Damaſceno,*
2. *Ex Dionyſio Areopagita,*
3. *Ex Chryſoſtomo,*
4. *Ex Gregorio Nyſſeno,*
5. *Ex Epiphanio Cyprenſium Epiſcopo.*

1. Oratio pro defunctis Apoſtolicæ traditionis eſt, ex S. Damaſceno.

JOANNES Damaſcenus in Sermone de Defunctis ait: *Diſcipuli illi Salvatoris & divini Apoſtoli, qui ipſius Verbi ſpectatores fuerunt, totiuſque mundi circulum vivum ceperunt, in tremendis atq; impollutis & vitalibus myſteriis, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt habendam edixerunt.*

Idem Damaſcenus in eodem Sermone citat Dionyſium Areopagitam, his verbis: *Exercitatus ille & profundus in divinis Dionyſius in myſtica conſideratione, ubi de Defunctis agit, dicit: Sanctorum preces etiam in vita iſta, nedum poſt mortem, proſunt his qui ſacris precibus digni ſunt, nempe fidelibus. per id quod dicit, Nedum, nihil aliud intelligendum eſt, quàm, Quantò magis.* Damaſcenus ibidem plura adfert teſtimonia ex libro quem ipſe Dionyſius ſcripſit de Eccleſiaſtica hierarchia. 2. Probatur ex Dionyſio Areopagita ſuffragium pro mortuis.

In eodem Sermone idem Damaſcenus citans Chryſoſtomum, dicit: *Joannes ille, cui ab auro cognomen eſt (verè enim aurea verba loquitur) Non temerè, inquit, aut caſu hæc à ſapientiſſimis Dei Diſcipulis ſancita, atq; Eccleſiæ ipſius tradita fuerunt, ut Sacerdos in tremendis myſteriis preces fundat pro fidelibus defunctis.* 3. Ex ſancto Chryſoſtomo.

Paulò pòſt in eodem Sermone Damaſcenus, allegans Gregorium Nyſſenum, ait: *Sapientiſſimus Gregorius Nyſſenus, Non, inquit, abſque ratione & utilitate à Chriſti prædicatoribus ac Diſcipulis traditum eſt, & in ſancta Dei Eccleſia ubiq; vim legis obtinuit, ſed res eſt modis omnibus utilis, Deoq́; inprimis grata, videlicet, memoriam eorum qui in recta fide obdormierunt, facere in divina illa lumineq́; plena myſtagogia.* 4. Ex S. Gregorio Nyſſeno.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN